

/ Illustrissime.

Ut à vestra dominatione auxilium implorem, duo maxime me plurimum movent: insignis quae in eo elucet singulis pro fide catholica opitulandi charitas, et inveteratum in haeresim quam libris vere aureis profligavit, odium. Vehementer si ea quae ad tantum negotium exhauriendum necessaria mihi supeterent, desiderarem radicitus fibras evellere et hanc provinciam Biarnensem à quinquaginta annis hac labe deformatam in antiquum avitae et Romanae fidei splendorem restituere. Hoc unum tantum à vestra illustrissima dominatione supplex peto, ut supetias non deneget, si lubet, huic patri Pellicier ordinis sancti Dominici et concionatori meae dioecesis, quem data opera Romam mitto, illic peracturus quaedam negotia, quae ipse vestrae illustrissimae dominationi significabit et aperiet, cui velim fidem facias, et praesertim intercedere dignetur vestra illustrissima dominatio erga suam sanctitatem, ut ipsa mihi gratis elargiatur bullas duarum perexiguarum abbatiarum, quarum fructus partim occupantur ab haereticis à quinquaginta annis, et, quod peius est, partim distracta sunt praedia. Hac in re hoc unum tantum in votis habeo, ut abbatiae ex eorum manibus eripiantur, divinusque cultus iamdudum intermissus, administretur. Certum quidem est nos nostris sedibus post quadraginta annorum exilium, restitutos esse, sed non plane bonis omnibus ecclesiasticis; certa enim tantum pensio mihi à rege christianissimo datur, reliqua vero ab haereticis detinentur. Insuper maximo Dei praesidio et bona venia regis christianissimi à mense Septembri nuper elapso, (quod a tribus annis diu noctuque in votis habui) tandem aliquando adeptus sum, patres videlicet Societatis Iesu, ut nunc hic habeo R^{dum} patrem Bailium cum socio, quem colo et in praecordiis semper habui, qui quidem quamplurimos ad fidem catholicam convertit ut ne dicere etiam possim, cum pene conversorum infinitus sit numerus: ideoque plus quam vatiniano me prosequuntur haeretici, quod iter fecerim in cu-

/ riam bis terve posthabitis omnibus aliis negotiis, ut praefatae
Societatis patres vera ecclesiae propugnacula et columnae in hanc-
ce patriam haeresis labe infectam admitterentur à rege christian-
issimo, quod ita factum est partim, reluctantem pro viribus curia
5 seu parlamento huius patriae, composito ex haereticis et unico dun-
taxat catholico. Nihilominus non dicam me vivere donec extremam
manum praefatae Societatis missioni admoveam. Caeterum omnibus qui-
buscunque possum precibus contendo, ne illustrissima dominatio
vestra meas partes tueri dedignetur; immo, si lubet, alloquatur
10 suam sanctitatem ut mihi praefatarum abbatiarum bullas gratis con-
cedat, idque ob inopiam, qua praemor facultatum. Ego vero ad ves-
trae illustrissimae dominationis pedes procumbens cum humilitate
supplex corruo ut illi foelicem, vegetem atque incolumem Deus elar-
giatur vitam, votis omnibus expeto.

15 Vestrae illustrissimae ac Reverendissimae dominationis

humillimus servus

Arnaldus eps Olorensis.

Datum Olori die 16

Aprilis 1610.

20 Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Cardinali Belarmino.

(cachet)